



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Quòd charitas virtualiter in se continet omnes virtutes, & vtrum obligat ad
subeundum mortem, & ad perfectionis opera, & andiligit propter
mercedem. Cap. CIIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

quod suae concupiscentiae deseruire non prospicit: ac totum videtur
 intolerabile, quod in vnam desiderij sui finem non concurrit. Et hic
 quidem agitur amore, de quo dicit Bernardus: O amor sanctus & ca-
 stus, o affectio dulcis & suavis, o pura & defecata intentio voluntatis;
 eo certe defecatio & purior, quod in ea de proprio iam nihil admixtu
 relinquitur, eo suauior & dulcior, quod totum diuinum est quod senti-
 tur. Sic enim affici, deificari est. Tertio, templum Dei oportet sanctifi-
 cari, iuxta illud Leuit. *Sancti estote, quonia ego sanctus sum* Et hoc qua-
 tuor modis, secundum quadruplicem expositionem huius nominis
 sanctus. Nam sanctus primo idem est, quod sine tinctura, id est, pecca-
 to: quia sicut tinctura panno colorem aufert naturalem, totum pene-
 trans pannum, sic peccatum animae baptismalem aufert innocenti-
 am, & penetrat totum hominem. De qua sanctificatione dicit Apolto-
 lus: *Mandemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficien-
 tes sanctificationem in timore Dei.* Secundo, sanctus idem est, quod sine
 terra, & *γῆος* enim Graece sanctum est Latine: vel, & *γῆος* idem est, quod
 sine terra. Et sic nos sanctificare debemus, inferiora cuncta contem-
 nendo, cum Apostolo dicetes: *Omnia arbitratus sum vt stercorea, vt Chri-
 stum lucrifacerem, vt sic in Deum amore puro viuaciter erecti simus.*
 Tertio, sanctus est idem quod sanguine tinctus. Olim enim hostiae
 sanguine tingebantur, & purificabantur, & omnia pene in sanguine
 mundabantur. Sic etiam nos sanctificare debemus, respergendo
trumque postem, scilicet concupisibilis & irascibilis, & superliminare
 rationalis. Vnde B. Agnes ait: *Sanguis eius ornavit genas meas* Quar-
 to, sanctus idem est quod firmus, & sancitus: & ideo leges dicuntur san-
 ctæ; quia firmæ. Sic etiam nos sanctificare debemus per patientiam, sicut
 Apostolus ait: *Pacemsequimini cum omnibus.* Glossa, etiam cum perse-
 cutoribus, & *sanctimoniam*, id est, perfectionem & perseverantiam in
 bonis operibus, *sine qua nemo videbit Deum* Hanc firmitatem, & san-
 ctitatem assecutus fuit Apostolus, quando dicebat: *Certus sum*, quod
neque mors, neque vita, &c.

*Quod charitas virtualiter in se continet omnes virtutes, & verum
 obligat ad subeundum mortem, & ad perfectionis
 opera, & a negligit propter mercedem.*

Cap. CIIII.

Kkk 3

Ego

Ego dilecto meo, & ad me conuerso eius. Iam de effectibus ipsius charitatis quaedam breuiter prosequamur. Est enim charitas, secundum Rabanum, ignis, in meditatione mentem purificans à fordibus vitiorum: lux est, in oratione mentem irradians claritate virtutum: mel in gratiarum actione, mentem dulcorans dulcedine diuinorum beneficiorum: vinum est, in contemplatione, mentem suauis sapore inebrians, & iucunda dulcediae: sol est, in aeterna beatitudine, clarificans serenissimo lumine, & suauissimo calore, exuberans ineffabili gaudio, & perenni iubilatione. Charitas enim, ut dicitur in tertio Sententiarum, est virtus gratuita, voluntatem in esse suo perficiens in ordine ad actum diligendi promptè, & faciliter propter se, & super omnia summum bonum. Vnde sicut vnum simplex, summum, & perfectissimum bonum est, in quo perfectè est omne bonum, & cui nullum bonum deest; sic charitas est vna virtus, in se continens omnes virtutes: sed propter diuersos effectus eius, ex diuersis extrinsecis occasionibus, vel causis illatis, quibus se, vel contra malum opponit, vel ad bonum extendit, diuersa sortitur officia, & nomina. Virtus enim, secundum Augustinum, est amor ordinatus, ut scilicet amet, quod debet, & sicut debet, & quantum debet. Quantum verò amat aliquid, tantum odit & fugit eius contrarium vbi potes.

Charitas
virtutum.

Sapient. 7.

Charitas ergo cum se extendit ad Deum, dilectio Dei dicitur: cum ad proximum, dilectio proximi dicitur: cum eius miseriam compatitur, misericordia nuncupatur: cum æquanimiter aduersa tolerat, patientia vocatur: cum odientibus benefacit, benignitas nuncupatur: cum non extollitur in prosperis, humilitas vocatur: cum obtemperat supericribus, obedientia dicitur, & sic de alijs: sicut etiam Spiritus sanctus dicitur *unicus*, scilicet in se; & *multiplex*, scilicet in effectibus. Cuius ratio est: quia licet charitas, sicut qualibet alia virtus, proprium habet actum, quem elicit, qui est diligere Deum & proximum, ita quod ab ea nullus alius actus elicitur: sicut etiam proprius actus fidei, quem elicit, est credere: & actus spei, sperare: actus prudentiae, recordari praeterita, ordinare praesentia, prauidere futura: actus iustitiae, reddere unicuique quod suum est: actus fortitudinis, animum firmare contra aduersa: actus temperantiae, animum moderare contra illicitos motus, & sic de alijs: nihilominus tamen charitas hanc habet eminentiam super cunctas alias virtutes, quod licet earum proprios actus non eliciat, sed eliciuntur à proprijs habitibus: tamè ipsos actus imperat, & à proprijs

prijs habitibus elicere facit, ac meritorios reddit. Quod ostendit Apostolus, dicens: *Si habuero omnem fidem, & si distribuero in cibis pauperibus omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, nihil mihi prodest.* Habent enim omnes virtutes connexitatem, & fertilitatem in charitate, & omnes actus virtuosus, vel ab ea eliciuntur, seu virtualiter imperantur. Hinc in præcepto charitatis tota *Lex pendet* & *Propheta.* Sola namque *charitas* est, quæ non deficit in aduersis, quia *paciens* est: quæ non rependit iniurias, quia *benigna* est: quam non cruciat aliena felicitas, quia *non annilatur*: quam conscientia mala non pungit, quia *non agit perperam*: que honore non extollitur, quia *non est inflata*: quæ præesse nõ nititur, quia *non est ambitiosa*: quam cupiditas non coarctat, quia *non quarit que sua sunt*: quam aliena mala non lætificant, quia *non gaudet super iniquitate*: quam errores non excæcant, quia *congaudet veritati*: quam persecutiones non frangunt, quia *omnia sustinet*: quam pusillanimitas non confundit, quia *omnia sustinet*: quæ perfidia non indurat, quia *omnia credit*, etsi non omnibus credit: quam desperatio non absorbet, quia *omnia sperat*: quæ morte nõ vincitur, quia *charitas nunquam excidit, & fortis est ut mors dilectio.* Hinc merito dicit Apostolus: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.*

Hic ergo primò quæri potest, Vtrum charitas quælibet obliget ad subeundum mortem pro Christo, sicut ille pro nobis animam suam posuit. Ad hoc dicendum, quòd pro loco & tempore, vbi datur talis optio, quòd vel iustitia deferatur, vel vita perdatur, ibi omnes, quantumcunq; sint imperfecti tenenter subire mortem, & præeligere magis Deo dilecto mori, quàm ipso offenso viuere. Sed vbi nõ imminet talis necessitas, nec talis optio datur, sed tantum offert se: opportunitas manifestandi diuinam gloriã, & ædificandi Ecclesiam, tuc si se mortis quis exponit, talem mortem subire, supererogationis, & perfectionis est, ad quam non omnes tenentur, quia citra dictam necessitatem positus subterfugere potest, & seipsum occultare, dicente Domino: *Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Secundò quæri potest, Vtrum charitatem perfectam habentes, teneantur ea quæ perfectionis sunt adimplere, præsertim cum, secundum Gregorium, crescentibus donis, rationes etiam crescant donorum, & cui plus committitur, etiam plus:

Kkk 4. exige-

1. Cor. 13.

Matth. 22.

Cant. 8.

Rom. 8.

Mors quatenus eligenda pro iustitia.

Matth. 10.
Genus perfectionis.

exigetur ab eo. Ad hoc dicendum, quòd, secundum Bonaventuram, quinque sunt genera perfectionis. Primum est iustitia, & sufficientia, quae consistit in Dei mandatorum adimplerione. Et ad hoc omnes obligantur, etiam imperfecti. Tamen perfecti ad hoc eò magis obligantur, quò magis bonum percipiunt, per quod diuinum mandatum adimplere possunt. Secundum est religionis, quae perfectio consistit in obseruatione consiliorum Dei, ad quae regula professa obligat. Et ad hoc genus perfectionis soli profitescentes obligantur. Tertium genus est perfectio praelationis, quae consistit in regimine subditorum, & ad illud obligatur officium illud suscipiens, & non alius. Quartum genus est perfectio operationis, quae consistit in ostensione exemplorum, ad euitandum scandalum pusillorum. Vnde licet quis non obligetur ad aliud simpliciter, vel secundum se, tamen quandoque obligatur ad illud, propter scandalum pusillorum euitandū. Hinc dicit Apostolus:

1 Cor. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Quintum genus est perfectio tranquillitatis, quae consistit in consummatione difficillimorum optimorum, sicut *perfecta charitas foras mittit timorem.* Et Philosophus dicit, quòd perfecta virtus optimorum est operatiua. Sed ad hoc quis non obligatur, nisi secundum conscientiae dictamen. Vnde generaliter ad quatuor vltima perfectionis genera quis non obligatur, existens in charitate perfecta, quantum est ex obligatione diuini mandati, nisi superinducatur aliqua noua obligatio ad huiusmodi genera perfectionum adimplenda, quamuis quis teneatur semper proficere in bonorum operum multiplicatione, & iustitiae exercitatione. Tertio queri potest, Vtrum Deus diligendus, & seruendus est propter mercedem, praesertim quia charitas diligit Deum, sicut summum bonum, & ideo diligit Deum super omnia: quia quantum res habet de bonitate, tantum etiam habet de diligibilitate, cum nihil diligendum sit nisi bonum. Sed Dei bonitas in infinitum excedit bonitatem totius creaturae. Charitas etiam diligit summum bonum sicut finem vltimum, & ideo diligit illud propter se. Quod autem diligitur propter se, & super omnia, diligitur dilectione fruitionis, & per consequens non debet diligi propter mercedem. Ad hoc dicendum, secundum Richardum, quòd Deum diligere, & ei seruire propter mercedem, tripliciter accipi potest. Vno modo, pro mercede increata, quae Deus est, sicut dicitur in Genesi: *Noli timere Abraham, ego prorektor tuus sum, & merces tua magna nimis.* Et tales sunt mercenarij boni, de quibus dicit Glossa super illud Lucae:

Quant.

Quanti mercenarij, &c. Qui futura mercedis intuitu digna operari fatigunt, quotidianis supernæ gratiæ reficiuntur alimentis. In qua mercede recipienda, secundum Thomam, de æterna beatitudine, non attendit anima principaliter, quod est sibi utile, sed purè super omnia, quod est Dei magnificum. Nam Deo valde honorificum, & magnificum est hominem uniri Deo in illa beatitudine, sic quod in illa unione obliuiscetur anima naturæ suæ, hoc est, quod super se non flectetur, propriam non querens voluntatem, & gloriam, sed tantum quod erit laudabile Creatori. Deum iugiter laudans, & glorificans ex omnibus viribus suis, utpote ad quam laudem creata dignoscitur. Et licet in Dei laude nõ potest esse sine magna delectatione, nullo modo tamè propter commodum proprium eum laudare desiderat, sed purè propter Deum, qui creauit hominem ad laudandum eum æternaliter, non propter suam, sed propter hominis beatitudinem ampliandam. Ideo quantò quis in Dei seruitio proprium commodum hic minus respicit, & diuinum beneplacitum plus querit, tantò famulatus eius erit Deo gratior, communi utilitati fructuosior, sibi ipsi suauior, & in æternum apparebit gloriosior. Alio modo potest accipi pro mercede creata, quæ tamen nobilior est quàm motus charitatis viæ, cuiusmodi merces est clara Dei visio, & eius perfecta fruitio: & sic etiam Deus diligì potest ex charitate propter mercedem, sicut propter finem, nota in quo quiescitur (qui propriè finis vltimus est, & bonum increatum) sed qui est ipsa quies, quæ vltimus finis non est, quamuis sit in fine vltimo. Tertio modo potest accipi pro mercede temporali, & sic Deus non est diligendus propter mercedem, sicut propter finem, quia re: omnis temporalis est minus digna, quàm motus charitatis.

Honorificū
quid Deo.

Quod duplex est ordo charitatis, & de his, quæ sunt ex charitate diligenda, & quod alius erit ordo charitatis patriæ quàm viæ. Cap. CV.

Introuduxit merex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. *Ecclii.*
Cant. 2. Sicut cella aquaria significat poenarum memoriam, ex qua timor exoritur, qui lauat à peccatis, iuxta illud Sapientis: *Timor Domini expellit peccatum*: sic cella vinaria significat beneficiorum Dei memoriam, de qua scilicet elicitur amor qui inebriat, per quam, scilicet memoriam, *ordinauit in me charitatem*. Beneficiorum enim eius memoriam mihi iugiter, & efficaciter ingerit, quod eum diligam super omnia,

LII omnia,